Schwartzrock Adam: Conclusiones logicae Quaestiones Categoriarum determinantes.

CONCLVSIONES LOGICAE

QVÆSTIONES CATEGORIARVM determinantes.

Ab

ADAMO Schwartzrock in Academia Posnaniensi Iuris V. ac Philosophiæ Auditore

PRÆSIDE

Excellente Dno IOANNE MACHATAR Moravo in eadem Academia Philosophiæ & Matheseos Professore.

Publico certamini propositæ & defensæ.

A. Salutis Christi M DC XXXIX.

Mense Junio Die 29 Hora. 17

W E

Spectabilibus ac Eximiis Inclytæ Ciuitatis Miedzÿrzeciensis

VIRIS

Dn. CONSVLIB. PATRONIS ET MOECENATIBVS SVIS.

Humilem obſequiorum ſignificationem, nec non exiguo ingenio ſuo Philoſophicas rudis Mineruæ Lucubrationes publicè deciſas.

Offert, Dicat, Conſecrat.

ADAMUS Schwartzrock

Reſp.

CONCLVSIONES PRAEDICAMENTORVM.

I.

CAtegoriæ, quas seriem Superiorum & Inferiorum prædicatorum vocamus, propter res à sensibus ad Intellectum confusè procedentes, multùm juvare videntur simplicem mentis appræhensionem, quæ, licet per se non indigeat regulatione, tamen vt Intellectus ad rerum quidditates deueniat, argumentationes, Definitiones & ex ijs per demonstrationes, proprietates elicere possit, eget plurimùm Objecti segregabilis & distinguibilis ordinatione, quam præstat cognitio omnium coordinabilium sub prædicatione & subjectione, quæ est finis proximus Categoriarum, quarum Subjectum juxta hanc prædicationem & subjectionem simplex ordinabile esto.

II.

ANteprædicamenta quæ in Categoriis Entis Prædicamentalis quasi præambula quædam sunt, in genere tria reperiuntur, utpote: Definitio, Diuisio, Regula: in specie septem reperies, videlicet, tres Definitiones Uniuocorum, Aequiuocorum, & Analogorum, & duas Diuisiones Denominatiuorum, id est, Vocum & Rerum & duas Regulas.

III.

AEquiuoca quæ ex rerum multitudine & vocum penuria deducta, in hæc verba definiri solent à Philosopho, quorum videlicet nomen commune ratio Substantiæ communi nomine significata diuersa, in qua cum Vniuocis discrepant, quorum ratio non diuersa sed eadem est, optimè describuntur, sicut & V-

niuoca cum Denominatiuis, sub hisce medium tenent modum Analoga, quæ quidem nomen commune, rationem verò per nomen significatam, partim eandem, partim diuersam sortiuntur.

IV.

ANalogiæ tres potissimum sunt species: Attributionis, Proportionalitatis, Transcendentiæ. Analoga hæc Attributionis ad principale analogatum comparata nullam habent rationem communem omnibus Analogatis præter respectus, quibus illud principale intrinsecè respiciunt, ex quo non repugnat prærequiri in Analogatis minus principalibus respectus intrinsecos quoad formam denominantem quibus respiciant principale analogatum & denominentur extrinsecè ab eo analogicè.

V.

ANaloga Proportionalitatis propriæ habent conceptum unum inadæquatum respectu Analogatorum, præscindentem ab inferioribus per id quod actu confuso inclusum, distincto actu non explicatur explicitè.

VI.

ENs commune ad decem Prædicamenta seu accipiatur pro conceptu Entis completi tantum, seu etiam sumatur per abstractionem à completo & incompleto, non est Vniuocum, sed Analogum, cuius Analogia si consideretur formaliter non Transcendentiæ sed Proportionalitatis est: si virtualitèr eandem consideraueris, Attributionis est.

VII.

SEriem Prædicamentorum in qua omnes res Creatæ distribuuntur & continentur cum Aristotele Peripateticæ doctrinæ Autore

thore Denario numero constantem tenemus. Neq; enim omnis ista rerum series latissimè patens Prædicamento comprehenditur, in quo sola concreta Substantialia quæ integram essentiam generalissimi participant, reponuntur, nequè etiam eadem penitus ratione Accidentia & Substantiæ collocantur, quoniam horum rectius abstracta quam concreta harum concreta directè reductiuè abstracta, rerum verò illæ solùm directè quæ completæ, quæ per se, quæ vniuocæ, quæ finitæ sunt.

VIII.

RAtio formalis constitutiua Substantiæ Prædicamentalis est perseitas, qua est Ens per se existens Substantia, quæ tanquàm quid priùs ipsis Accidentibus naturâ, cognitione, tempore ac definitione ut completa, finita Entitatis perfectæ generalissimum est genus Prædicamenti, in quo principem locum tenet: à quo DEus Benedictus ob Essentiæ suæ absolutissimam perfectionem relegatur: Coeli, Intelligentiæ, & huiusmodi alia directè sunt ponibilia sub genere Substantiæ. Cuius Diuisio in Primam & secundam in modo quo à Subiectis participatur est Analoga.

IX.

SVbstantiam immediatè & directè Quantitas sequitur, quæ si Categorias spectes alterum caput est Categoriarum: si Prædicamenta Accidentium primum caput eorundem, Quantitas erit: huius ratio propria, formalis & essentialiter constitutiua non consistit primariò & per se in mensura formali aut in diuisibilitate seu in repletione loci, vel in impenetratione actuali, verum in extensione partium in ordine ad totum, quod est dare partes formaliter integrantes.

X.

QVantitatis duæ communiter Species traduntur: Continua videlicet & Discreta; hæç prior habet iterum istas quinq;

Spe-

Species, Lineam, quæ est longitudo sola corporis præmissâ latitudine. Superficiem, & hæc latitudo extrema corporis est. Corpus, & hoc est profunditas Substantiæ: tempus & locum: Discreta habet duas Species Orationem & Numerum, qui ex vnitatibus quantitatiuis compositus propria est Species Quantitatis, quod Orationi accidit, impropriè & modo Metaphorico.

XI.

VT Substantiam Quantitas, ita seruato ordine immediatè Quantitatem sequitur Relatio. Hæc in communi juxta suum esse reale considerata, supremum huius Prædicamenti genus est, diciturq; forma realis cuius totum esse est ad aliud, quod aliæ Relationes non habent quas secundum dici vocamus, quæ per diuersa genera vagantes in illo in quo earundem absoluta ex suo principali significato collocantur Prædicamento.

XII.

VT verò Prædicamentalem Relationem Realem formam esse de integro constet, requiritur ad hoc Subiectum Reale, Ratio fundandi Realis, Terminus ac Distinctio inter Fundamentum & terminum Realis, idq; Fundamentum penes Vnitatem & Numerū, penes Actionem & Passionem, penes Mensuram & Mensurabile.

XIII.

HÆc eadem Prædicamentalis Relatio distinguitur à parte rei, à Fundamento Remoto, quod est Subiectum; melius tamen distingui dicitur à Fundamento Proximo non vt res à re, at vt modus mediante attamen illo Fundamento, cum quo identificatur, potest realiter distingui à Subiecto, si videlicet tale Fundamentum realiter à Subiecto tali distinguatur.

Hinc

XIV.

HInc vti certum tenemus dari in rebus creatis Relationes, quæ non ſunt denominationes extrinſecæ (vt quidam cenſent) verum reales, quarum totum eſſe juxta Formam Realem eſt aliquid Reale & Accidens inhærens, ita certiſſimum tenemus ipſasmet Relationes Reales non poſſe alias fundare ob inconueniens infiniti proceſſus.

XV.

RAtio terminandi, pro ipſa formalitate ſumpta, non eſt quid abſoluti & ad ſe, ſed eſt aliquid Relatiui, ita vt ſub ratione hac, omnes Relationes tam Mutuæ quam non-Mutuæ terminentur ad aliquid Relatiuum.

XVI.

ACcidit autem Relationi ſpecificatio ab utroq;: à Fundamento quidem tanquam à cauſâ ac principio ſpecificante, à Termino, vt à complente & rationem ſpecificandi terminante, nec implicat vnicam Relationem poſſe attingere omnes Terminos ſuæ ſpeciei tanquam inadæquatos ſuæ extenſioni, quorum quisq; eandem ſufficienter terminet Relationem.

XVII.

SUccedit Relationi Qualitas, quæ eſt Accidens in ordine ad Subiectum nobilitandum & qualificandum per ſe primò ordinatum: Cuius quatuor Species facit Ariſtoteles: Habitum & Diſpoſitionem, innatam Potentiam & Impotentiam, Paſſionem & Paſſibilem Qualitatem, Figuram & Formam, quæ in hoc diſconueniunt, quia inter has tres vltimas nulla interuenit ſpecifica diſtinctio: Prima vero, quæ eſt Habitus & Diſpoſitio, quod ſi hic pro qualitate vt eſt difficile mobilis, illa pro qualitate vt ex natura

ſua

ſua facile mobilis eſt accipiantur, eſſentialiter diſtinguuntur:

XVIII.

VLtima ſex Prædicamenta quæ ſunt Actio ,Paſſio, Vbi, Situs, Quando & Habitus, nec in extrinſeca denominatione nec in Relatione ſecundum eſſe conſiſtunt, ſed in relicto modo extrinſecè applicationis à quo in denominando dependent.

XIX.

OPpoſitio, Prius, Simul, Motus & Habere, iſta enumerata, ſunt rationes incompletæ communes multis Prædicamentis, Contradictoria vero Oppoſitio, quia ſimpliciter tollit quod alterum ponit Oppoſitionum cernitur maxima.

IESV CHRISTO GLORIA ET GRATIA.

PHX

PHYSICVS.

V. Naturaliter fieri non possit vt duæ formæ Substantiales eandem occupando materiam simul ac semel hospitentur?

ETHICVS.

V: Felicitas consistat in operatione secundum Virtutem?

PROBLEMA PHILOSOPHICVM

Ad Dn. Responden:

Cur manus liquato plumbo lauare non noceat?

Lemn: Lib. 2. c. 34.

AVsus furores experiri Mutius
Ignis, valente dextra, tunc
Scrutatur ignes, fert manu sed perdita
Poenas; quid ego? plumbum valeam
Versare salva dextera quod diffluit
Foco solutum feruido?
Non tento, ni causam retusi des Sophe
Feruoris huius plumbei
Plumbi penetra uim, require quod volo
Nescit Sophus flammas pati.

Sophus.

PLumbum ferueat ac manu rotetur
Igne bulliat ac rotetur ore
Nulli obnoxia dexteræ, nec ori
Vis est huius, at ante sint liquore
Os & dextera inuncta, quem uocari
Malvam noveris, arctei quæ tantùm
Malva frigoris indit, ille quantum

Fervor in tua membra dat caloris.
Et sic flammea tela non pavebis.

Appendit Præmium.
Auream statuam Leontin : Respon:

SCis superare focos flammæ vincere furores
Si te ô vidisset perdita Troja prius!
Tunc celebres agitasses lætus in arte Triumphos.
Quis tibi quid reris non viguisset honos?
Sed tamen auro nunc Phidias nunc Pyrrhus honorē
Te colit & tellus stabit ad usq;, colet

IOANNES DAMBROVVSKI
Philosophiæ Auditor.

PROBLEMA PHILOSOPHICVM
Dno Respondenti

Cur coram occisore cadaver promat Sanguinem?

Delrio. lib. 1. cap. 4. quæst. 4.

AH bella, bella, acerba bella Sanguinis
Quot gurgites profunditis!
Quot criminis, doliq; bella, at horrida
Bella; inscios deperditis!
Precionè quidqvam est sanguinis pretiosus
Homo, quem sinè precio miser
Fundit? madent stillante sanguine jugera
Sanguine madescunt flumina.
Vir incubat viro, petit fusus cruor
Nocuum cruorem; dum cadit
Vnus, cruoris hoste præsente immadens.
Rivo, Nefas hêm publicat

Occisus, ac rorante Sanguine mors rubet:
Unde fit id? edic, scis Sophe.

Respondet Sophus.

VItâ, nil homini dulcius evenit.
Vitâ, nil homini acceptius accidit
Vitâ, nil homini gratius eripi
Vitâ, nil homini carius accipi
Usquam credo potest; Coesus amabilem
Ereptam jaculis proinde sibi, dolens
Vitam; flagrat in hostes odio gravi
Illis Ense volens reddere vindice
Funestum scelus? at dextera langvet, &
Effetus vitijs concinit otia
Ensis, sat sibi nam tunc furiæ putat
Effuso rubeo sangvine. Sæviet
Sed quondam DEus ô forte furoribus
Suis ipse magis? criminis arbiter.

Problema proponens.

Chlamydes Militum pictas à Sortorio
Alex. ab Alex. lib. 2.
apponit præmium.

SAnguine cur Lethum rubeat sat Adame faceto
Dogmate pandis, agas, te decet ille rubor.
Sanguine non sparso, at tu picta veste rubebis
Quam rubeus Sophico Dogmate tingit Amor.
Tingit Amor qui te sophici per culmina collis
Ad Sapiens fructu præpete, ducit iter.

 Perge

Perge, pedes rubeo Soleris munere, fulvum
Si pergas aurum proferet ille rubor.
Interea rubeis sis vt Longævus in annis
Retrogradi hoc à me Carminis omen habe.
Metra, Subis, Sapis, & certe si passibus arte M
Si benè tetras (à te) metas arte tenebi S
Metra subi, tunc istis, sit sic: nutibus arte M
Sero animes metro, Sortem (tua semina ô reS
Si regeris) referes. Semina ô animes.

CHRISTOPHORUS à Brandt
Iuris & Philosophiæ Auditor.
Borussus.

Problema aliud.

Cur Noctambuli inoffensè in Somno turres conscendant?
Lemni. lib. 4. cap. 5.

Somnus dulci membra lenit virgula
Sensusvè paci conglobat
Dominante Somno tota moles corporis
Subdita qviescit, at sua
Noctambuli qviete nusquam perfrui
Volunt, oberrant, ac vias
Altæ turris prævio tentant pede
Scandere, domusq; celsica
Per tecta niti, qvis levat? qvis erigit?
Ipsum ne pondus corripit!
Nosti, qvæ sit qualitas, pondus super
Deferri in altum, Dissere.

Sophus.

SI vas Spiritibus natet repletum
Vento turgida qvercus intumenti
Si natet Pelago: feratur undis
Sed non fluctibus obruatur, anné
Quæres? Ventus aqvis perire nescit
Sic qui noctibus ambulant per altas
Turres Cespitis arduos meando
Casus pectore turgido levantur
Cordis divite spiritu repleti.

Præfigit Præmium:
Vittatam Navim Platonis
Ex Plutarcho in vita Dion:

CVrsoris unde dormientis in larvum
Corpus levetur culmina
Sat voce nunc tua mihi patet Sophe,
Tolli meretur sic qvoq;
Astris Sophus, super sed astra qua volet
Vi? Navis hunc ad Sydera
Navis vehat Platone plena, quæ Decus
Meruit ferat te Gloriæ
In tàm gravi tumentis inter æqvoris
Fluctu procellas conscium.

Πρικαλέας νικάων πολὺς ῥοφάλυγγας ἀέλλας
πιλτίμως σοφίας δίδως τυ ὄνομα κάλον
πατρίδος ὁ κεπορ ὅ σ ὀλβία ἣ τέκε πατρίς.

Ioannes Tuchmacherus Cæsa-
reopolitanus. Vngar. Iuris
& Philosophiæ Auditor.

Probl-

Problema Aliud.
Cur Annus Climactericus solet esse Lethalis?
Lemn. lib. 2. cap. 34.

OMni mora collabimur, vitæ scopum
Determinatum quærimus
Hic qværit, iste quærit Hic citius capit
Hic serius. Sed vnica
Manet vrna cunctos. Temporis modo nescij
Vix scij Tres egerit
Si qvispiam annos ac decem qvoq; sexies
Charonta visurus brevi
Fertur is, at huius causa qvæ? Mors fera
Numerare non novit dies.

Sophus.

PArcere mors nescit, precibus nec flectitur ullis
Illa rapit Iuvenem, corripit illa senem
Vnde Climactericus novies cum vicerit Annos
Septem, Mortis homo perditur exilio.

Præmium confert Loricam Ichevmonis ex Plinio:

NOn timeas sed Adame necem, mors fulget amica
Nosti tu Mortem novit & illa Sophum
Si tamen invito cogaris ludere Marte
Huius loricæ Mors acuatur ope
Ludere tunc poteris Martis fortuna juvabit
Mors novit Marti subdere sæpè rotam
Scilicet in Laudem Superum dum ludis in artes hac
Cessabit tecum ludere crede? Sophe.

GERHARDVS Henr: à Goltz
Iuris & Philosophiæ Auditor.

Præ-

Præmium Aliud.

Iunonis Pavonem Ovid. 1. Metamor.

NOn tibi terra parens tua ſed de Sydere vita eſt
Vati ſi non vis credere crede DEO
Ille tibi ſpeculam ſtatuit qua terrea ferri
Plus qvàm fatidicâ mente videre qveas.
Contulit ingenium cuius tdm indagine mirâ
Pandis qvod Sophicum munus acumen habet
Lumina luminibus necti gaudentq; voluntq;
Luminibus Pavo fulget Adame, cape
Iuno favet, ſamioq; volens Pavone carere
Alme decor patriæ Te cupit ipſa vehi.

ſubjungit, dicat

IOACHIMVS RVDIGERVS à Goltz
Iuris & Philoſophiæ Auditor.

PRæſentem Lyricâ dum canimus cheli
Te Laudata tuis plectra in honoribus
Auratis fidibus pollice tangimus
Ut virtutis honos tum tua vivida
Virtus perpetuò tempore luceat
Tu conſtans ſtudio nomen & omina
Coneris Sophico nec ſine gloria
Metiri, hæc referent poſtera ſœcula.

appoſuit

FRANCISCVS VVEBER
Preſpurski Morav. Philſ. Stud.

FINIS.